

paganis, et ostendimus hoc evenire modo in Ecclesia Christi, quod ante prædictum est de nomine Christi, de capite et corpore Christi, ne putent nos finxisse illas prædictiones, et ex his rebus quæ acciderunt, quasi futuræ essent, nos conscripsisse, proferimus codices Judæorum. Nempe Judæi inimici nostri sunt, de chartis inimici vincitur adversarius. Omnia ergo Dominus distribuit, omnia pro salute nostra ordinavit. Prædixit ante nos, implevit hoc tempore nostro, et quæ nondum implevit, impleturus est. Itaque tenemus redditorem, ut credamus debitorem: quia et illa quæ nondum dedit, dabit; sicut ea quæ nondum dederat, dedit. Si quis probare vult ubi sint scripta, legat Moysen et Prophetas. Si aliquis perstrepat inimicus, et dicit: Vos vobis prophetias finxistis: proferantur codices Judæorum, quia major serviet minori. Ibi legant ista prædicta, quæ modo videmus impleta: et dicamus omnes: « Benedictus Dominus Deus Israël, a sæculo » et in sæculum: et dicet omnis populus, Fiat, fiat<sup>1</sup>. »

ENARRATIO

IN PSALMUM XLI.

Sermo ad plebem.

OLIM est ut desiderat anima nostra in verbo Dei gaudere vobiscum<sup>2</sup>, et in illo vos salutare, qui est nostrum adiutorium et salutare. Quod Ergo Dominus dat, audite per nos, et in illo exultate nobiscum in sermone ejus et in veritate et in charitate ejus. Psalmum enim suscepimus,

<sup>1</sup> Psal. XL, 14. — <sup>2</sup> Vide D. Guillon, tom. XXI, pag. 478-483.

de quo loquendum est vobis, congruum desiderio vestro. Cœpit enim ipse Psalmus a sancto quodam desiderio, et ait qui sic cantat: « Quemadmodum desiderat cervus ad » fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus<sup>1</sup>. » Quis ergo est qui hoc dicit? Si volumus, nos sumus. Et quid quæras extra quisnam sit, cum in tua potestate sit esse quod quæris? Tamen non unus homo est, sed unum corpus est: corpus autem Christi Ecclesia est<sup>2</sup>. Nec omnibus qui intrant Ecclesiam, invenitur tale desiderium: sed tamen quicumque suavitatem Domini gustaverunt, et quod eis sapit agnoscunt in Cantico, non putent se solos esse, sed talia semina sparsa credant in agro dominico, toto orbe terrarum, et cujusdam unitatis christianæ esse vocem hanc: « Quemadmodum desiderat cervus » ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad te, » Deus. » Et quidem non male intelligitur vox esse eorum, qui cum sint catechumeni, ad gratiam sancti lavacri festinant. Unde et solemniter cantatur hic Psalmus, ut ita desiderent fontem remissionis peccatorum, « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. » Sit hoc, habeatque locum intellectus iste in Ecclesia et veracem et solemnem. Verumtamen, fratres, videtur mihi etiam in baptisate fidelibus nondum esse satiatum tale desiderium: sed fortassis, si norunt ubi peregrinentur, et quo eis transeundum sit, etiam ardentius inflammantur.

II. Denique titulus ejus est, « In finem, in intellectum, » filiis Core, Psalmus<sup>3</sup>. » Filios Core invenimus et in aliis Psalmorum titulis<sup>4</sup>, et jam tractasse nos meminimus, et locutos esse quid sibi hoc nomen velit: ita tamen nunc commemorandus est iste titulus, ut non nobis quasi præjudicet quod jam diximus, ut deinceps non dicamus: non enim ubicumque diximus, omnes affuerunt. Core aliquis

<sup>1</sup> Psal. XLI, 2. — <sup>2</sup> Closs. 1, 24. — <sup>3</sup> Psal. XLI, 1. — <sup>4</sup> Id. XLIII-XLVIII.



homo fuerit, sicut fuit, habueritque filios qui appellarentur filii Core<sup>1</sup>: nos tamen arcanum sacramenti scrutemur, ut nomen hoc mysterium, quo gravidum est, pariat. Magni enim sacramenti res est, ut Christiani appellentur filii Core. Unde filii Core? filii sponsi, filii Christi. Dicti sunt enim Christiani, filii sponsi<sup>2</sup>. Quare ergo Core Christus? Quia Core interpretatur Calvaria. Multo remotius est hoc. Quærebam quare Core Christus: intentius quæro, quare Christus ad Calvariam pertinere videatur. Nonne jam occurrit in loco Calvarie crucifixus<sup>3</sup>? Occurrit omnino. Ergo filiis sponsi, filii passionis illius, filii redempti sanguine illius crucis illius, portantes in fronte quod inimici in Calvarie loco fixerunt, appellantur filii Core: illis cantatur iste Psalmus in intellectum. Intellectu itaque excitemur; et si nobis cantatur, intelligamus. Quid intellecturi sumus? In quem intellectum Psalmus iste cantatur? Audeo dicere: « Invisibilia enim ejus a creatura mundi per ea quæ » facta sunt intellecta conspiciuntur<sup>4</sup>. » Eia fratres, aviditatem meam capite, desiderium hoc mecum communicate: simul amemus, simul in hac siti exardescamus, simul ad fontem intelligendi curramus. Desideremus ergo velut cervus fontem, excepto illo fonte quem propter remissionem peccatorum desiderant baptizandi, et jam baptizati desideremus illum fontem, de quo Scriptura alia dicit, « Quoniam apud te est fons vitæ. » Ipse enim fons et lumen est, « Quoniam in lumine tuo videbimus lumen<sup>5</sup>. » Si et fons est, et lumen est, merito et intellectus est, quia et satiat animam avidam sciendi; et omnis qui intelligit, luce quadam non corporali, non carnali, non exteriore, sed interiore, illustratur. Est ergo, fratres, quædam lux intus, quam non habent qui non intelli-

<sup>1</sup> Num. xxvi, 11. — <sup>2</sup> Matth. ix, 15. — <sup>3</sup> Id. xxvii, 33. — <sup>4</sup> Rom. i, 20. — <sup>5</sup> Psal. xxxv, 10.

gunt. Unde jam eos qui desiderant hunc fontem vitæ, et inde aliquid carpunt, alloquitur Apostolus obsecrans, et dicit: « Ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, » alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum<sup>1</sup>. » Si ergo illi obscurati sunt intelligentia, id est, quia non intelligunt, obscurantur: ergo qui intelligunt illuminantur. Curre ad fontes, desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ et insicabilis fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera, quemdam fontem, quoddam lumen quale non norunt oculi tui; cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit. Curre ad fontem, desidera fontem; sed noli utcumque, noli ut quaecumque animal currere; ut cervus curre. Quid est, ut cervus? Non sit tarditas in currendo, impigre curre, impigre desidera fontem. Invenimus enim insigne velocitatis in cervo.

III. Sed forte non hoc Scriptura solum nos in cervo considerare voluit, sed et aliud. Audi quid aliud est in cervo. Serpentes necat, et post serpentium interemptionem majori siti inardescit, peremptis serpentibus ad fontes acrius currit. Serpentes vitia tua sunt: consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. Avaritia forte in te tenebrosum aliquid sibilat, et sibilat adversus verbum Dei, sibilat adversus præceptum Dei: et quia tibi dicitur: Contemne aliquid, ne facias iniquitatem: si mavis facere iniquitatem, quam aliquod commodum temporale contemnere, morderi eligis a serpente, quam perimere serpentem. Cum ergo adhuc faveas vitio tuo, cupiditati tuæ, avaritiæ tuæ, serpenti tuo, quando in te invenio tale desiderium, quo curras ad fontem aqua-

<sup>1</sup> Ephes. iv, 17, 18.



rum? Quando concupiscis fontem sapientiæ, cum adhuc labores in veneno malitiæ? Interfice in te quidquid contrarium est veritati: et cum te videris tanquam vacare a cupiditatibus perversis, noli remanere quasi non sit quod desideres. Est enim aliquid, quo te tollas; si jam egisti in te, ut non sit impeditor contra te. Dicturus enim es forte jam mihi, si cervus es: Deus novit, non me jam avarum, non me jam cujusquam rem concupiscere, non adulterii cupiditate flagrare, non cujusquam odio invidiaque tabescere, et cætera hujusmodi; dicturus es: Non habeo hæc: et quæris forte unde delecteris. Desidera unde delecteris; desiderata fontes aquarum: habet Deus unde te reficiat, et impleat venientem ad se, et sitientem post interemptionem serpentium, tanquam velocem cervum.

IV. Est aliud quod animadvertas in cervo. Traduntur cervi, et a quibusdam etiam visi sunt; non enim de illis tale aliquid scriberetur, nisi antea videretur: dicuntur ergo cervi vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere, ita ut unus præcedat, et sequantur qui supra eum capita ponant, et supra illos alii consequentes, et deinde alii, donec agmen finiatur: ille autem unus qui pondus capitis in primatu portabat, fatigatus redit ad posteriora, ut alius ei succedat, qui portet quod ille portabat, atque ille fatigationem suam recreet posito capite, sicut et cæteri ponebant: ita vicissim portando quod grave est, et viam peragunt, et invicem se non deserunt. Nonne quosdam cervos alloquitur Apostolus, dicens: « Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi<sup>1</sup>? »

V. Talis ergo cervus in fide constitutus, nondum videns quod credit, cupiens intelligere quod diligit, patitur et

<sup>1</sup> Gal. vi, 2.

contrarios non cervos, obscuratos intelligentia, in tenebris interioribus constitutos, vitiorum cupiditate cæcatos; insuper insultantes et dicentes homini credenti, et quod credit non ostendenti: « Ubi est Deus tuus<sup>1</sup>? » Quid ergo iste cervus fecerit contra hæc verba, audiamus, ut et ipsi, si possumus, faciamus. Primo expressit sitim suam: « Quemadmodum, inquit, cervus desiderat ad fontes » aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. » Quid si cervus ad fontes aquarum lavandi causa desiderat? Utrum ergo bibendi an lavandi causa, nescimus. Audi quid sequitur, et noli quærere: « Sitivit anima mea ad Deum » vivum. » Quod dico: « Quemadmodum cervus desiderat » ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te, Deus<sup>2</sup>, » hoc dico: « Sitivit anima mea ad Deum vivum. » Quid sitivit? « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei. » Hoc est quod sitio, venire et apparere. Sitio in peregrinatione, sitio in cursu: satiabor in adventu. Sed « Quando » veniam? » Et quod citius est Deo, tardum est desiderio. « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » Ex illo desiderio est et hoc, ex quo clamatur alibi: « Unam » petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo » Domini per omnes dies vitæ meæ<sup>3</sup>. » Quare hoc? Ut contempler, inquit, delectationem Domini. « Quando veniam et apparebo ante faciem Domini? »

VI. Interim dum meditor, dum curro, dum in via sum, antequam veniam, antequam appaream: « Fuerunt mihi » lacrymæ meæ panis die ac nocte, cum dicitur mihi per » singulos dies, Ubi est Deus tuus? Fuerunt mihi, inquit, » lacrymæ meæ, » non amaritudo, sed « Panis. » Suaves erant mihi ipsæ lacrymæ: sitiens illum fontem, quia bibere nondum poteram, avidius meas lacrymas manducabam. Non enim dixit: Factæ sunt mihi lacrymæ meæ

<sup>1</sup> Psal. xli, 4. — <sup>2</sup> Ibid. 2, 3. — <sup>3</sup> Id. xxvi, 4. — <sup>4</sup> Id. xli, 4.



potus, ne ipsas desiderasse videretur sicut fontes aquarum : sed servata illa siti, qua inardesco, qua rapior ad fontes aquarum, panis mihi factæ sunt lacrymæ meæ, dum differor. Et utique manducando lacrymas suas, sine dubio plus sitit ad fontes. Die quippe ac nocte factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis. Cibum istum qui panis dicitur, die comedunt homines, nocte dormiunt : panis autem lacrymarum et die et nocte comeditur ; sive totum tempus accipias diem et noctem ; sive diem intelligas pro hujus sæculi prosperitate, noctem vero pro hujus sæculi adversitate. Sive, inquit, in prosperis rebus sæculi, sive in adversis rebus sæculi, ego desiderii mei lacrymas fundo, ego desiderii mei, aviditatem non desero : et cum in mundo bene est, mihi male est, antequam apparebo ante faciem Dei. Quid ergo diei quasi gratulari me cogis, si aliqua hujus sæculi prosperitas arriserit? nonne deceptoriam est? nonne fluxa, caduca, mortalis? nonne temporalis, volatica, transitoria? nonne plus habet deceptionis quam delectationis? Cur ergo non et in ipsa fiant mihi lacrymæ meæ panis? Siquidem et cum felicitas sæculi circumfulget, quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino<sup>1</sup>; et « Dicitur mihi quotidie: Ubi » est Deus tuus? » Quia paganus si hoc mihi dixerit, non illi et ego possum dicere : « Ubi est Deus tuus? » Deum quippe suum digito ostendit. Intendit enim digitum ad aliquem lapidem, et dicit : Ecce est Deus meus, « Ubi est » Deus tuus? » Cum lapidem irrisero, et erubuerit qui demonstravit, tollit oculum a lapide, suspicit coelum, et forte in solem digitum intendens, iterum dixit : Ecce Deus meus : « Ubi est Deus tuus? » Invenit ille quod ostenderet oculis carnis : ego autem non quasi non habeam quem ostendam, sed non habet ille oculos quibus ostendam. Po-

<sup>1</sup> 2 Cor. v, 6.

tuit enim ille oculis corporis mei ostendere Deum suum solem, quibus ego oculis ostendam solis creatorem?

VII. Verumtamen audiendo quotidie : « Ubi est Deus » tuus? » et in lacrymis meis quotidianis pastus, die ac nocte meditatus sum quod audivi : « Ubi est Deus tuus? » quæsi etiam ago ipse Deum meum, ut si possem, non tantum crederem, sed aliquid et viderem. Video enim quæ fecerit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum qui fecit hæc. Sed quoniam sicut cervus desidero ad fontes aquarum, et est apud eum fons vitæ, et in intellectum scriptus est Psalmus filiis Core, et invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : quid agam, ut inveniam Deum meum? Considerabo terram : facta est terra. Est magna pulchritudo terrarum ; sed habet artificem. Magna miracula sunt seminum atque gignentium ; sed habent ista omnia creatorem. Ostendo magnitudinem circumfusi maris, stupeo, miror, artificem quæro, coelum suspicio et pulchritudinem siderum, admiror splendorem solis exerendo diei sufficientem, lunam nocturnas tenebras consolantem : mira sunt hæc, laudanda sunt hæc, vel etiam stupenda sunt hæc, neque enim terrena, sed jam coelestia sunt hæc : nondum ibi stat sitis mea : hæc miror, hæc laudo : sed eum qui fecit hæc, sitio. Redeo ad me ipsum, et quis sim etiam ipse qui talia quæro, perscrutor : invenio me habere corpus et animam ; unum quod regam, aliud quo regar, corpus servire, animam imperare. Discerno animam melius esse aliquid quam corpus, ipsumque inquisitorem talium rerum non corpus, sed animam video : et tamen hæc omnia quæ collustravi, per corpus ea me collustrasse cognosco. Terram laudabam, oculis cognoveram ; mare laudabam, oculis cognoveram ; coelum, sidera, solem lunamque laudabam, oculis cognoveram. Oculi membra sunt carnis,



fenestræ sunt mentis : interior est qui per has videt; quando cogitatione aliqua absens est, frustra patent. Deus meus qui fecit hæc, quæ oculis video, non istis oculis est inquirendus. Aliquid etiam per se ipsum animus ipse conspiciat : utrum sit aliquid quod non per oculos sentiam, quasi colores et lucem; non per aures, quasi cantum et sonum; non per nares, quasi odorum suavitatem; non per palatum et linguam, quasi saporem; non per totum corpus, quasi duritiem et mollitiem, rigorem atque fervorem, asperitatem lenitatemque pertractem; sed utrum sit aliquid intus quod videam. Quid est intus videam? quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor, aut frigus, aut duritia, aut mollitudo. Dicatur ergo mihi, quem colorem habeat sapientia. Cum cogitamus justitiam, ejusque intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur, quid sonat ad aures? quid tanquam vaporem surgit ad nares? quid auri infertur? quid manu tractatur et delectat? Et intus est, et pulchra est, et laudatur, et videtur : et si in tenebris sunt oculi isti, animus illius luce perfruitur. Quid est illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus consilium vitæ dabat<sup>1</sup>? Est ergo aliquid quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt; quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum, sed per se ipsum : et utique melius quod per se ipsum, quam quod per servum suum. Est prorsus, se ipsum enim per se ipsum videt, et animus ipse ut norit se, videt se. Nec utique ut videat se, corporalium oculorum quærit auxilium : imovero ab omnibus corporis sensibus, tanquam impediens et perstreptibus abstrahit se ad se, ut videat se in se, ut noverit se apud se. Sed numquid aliquid tale Deus ipsius est, qualis est animus?

<sup>1</sup> Tob. iv, 2.

Non quidem videri Deus nisi animo potest, nec tamen ita ut animus videri potest. Aliquid enim quærit animus iste quod Deus est, de quo illi non insultent qui dicunt : « Ubi » est Deus tuus? » Aliquid quærit incommutabilem veritatem, sine defectu substantiam. Non est talis ipse animus, deficit, proficit; novit, ignorat; meminit, obliviscitur; modo illud vult, modo non vult. Ista mutabilitas non cadit in Deum. Si dixero : Mutabilis est Deus, insultabunt mihi qui dicunt : « Ubi est Deus tuus? »

VIII. Quærens ergo Deum meum in rebus visibilibus et corporalibus, et non inveniens; quærens ejus substantiam in me ipso, quasi sit aliquid qualis ego sum, neque hoc inveniens; aliquid super animam esse sentio Deum meum. Ergo, ut eum tangerem, « Hæc meditatus sum, » et effudi super me animam meam<sup>1</sup>. » Quando anima mea contingeret quod super animam meam quæritur, nisi anima mea super se ipsam effunderetur? Si enim in se ipsa remaneret, nihil aliud quam se videret : et cum se videret, non utique Deum suum videret. Dicant jam insultatores mei, « Ubi est Deus tuus? » dicant : ego quandiu non video, quandiu differor, manduco die ac nocte lacrymas meas. Dicant illi adhuc : « Ubi est Deus tuus? » quæro ego Deum meum in omni corpore, sive terrestri, sive cælesti, et non invenio : quæro substantiam ejus in anima mea, et non invenio : meditatus sum tamen inquisitionem Dei mei, et per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei mei cupiens intellecta conspiciere<sup>2</sup>, « Effudi super me animam » meam; » et non jam restat quem tangam, nisi Deum meum. Ibi enim domus Dei mei, super animam meam : ibi habitat, inde me prospicit, inde me creavit, inde me gubernat, inde mihi consulit, inde me excitat, inde me vocat, inde me dirigit, inde me ducit, inde me perducit.

<sup>1</sup> Psal. xli, 5. — <sup>2</sup> Rom. 1, 20.



IX. Ille enim qui habet altissimam in secreto domum, habet etiam in terra tabernaculum. Tabernaculum ejus in terra, Ecclesia ejus est adhuc peregrina. Sed hic quærendus est, quia in tabernaculo invenitur via, per quam venit ad domum. Etenim cum effunderem super me animam meam, ad attingendum Deum meum, quare hoc feci? « Quoniam ingrediar in locum tabernaculi. » Nam extra locum tabernaculi errabo quærnes Deum meum. « Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis » usque ad domum Dei. » In locum tabernaculi ingrediar, admirabilis tabernaculi usque ad domum Dei. Jam enim multa admiror in tabernaculo. Ecce quanta admiror in tabernaculo: Tabernaculum enim Dei in terra, homines sunt fideles: admiror in eis ipsorum membrorum obsequium; quia non in eis regnat peccatum ad obediendum desideriis ejus, nec exhibent membra sua arma iniquitatis peccato, sed exhibent Deo vivo in bonis operibus: animæ servienti Deo membra corporalia militare admiror<sup>1</sup>. Respicio et ipsam animam obedientem Deo, distribuentem opera actus sui, frenantem cupiditates, pellentem ignorantiam, extendentem se ad omnia aspera et dura toleranda, justitiam et charitatem impendentem cæteris. Miror et istas virtutes in anima: sed adhuc in loco tabernaculi ambulo. Transeo et hæc: et quamvis admirabile sit tabernaculum, stupeo cum pervenio usque ad domum Dei. De qua domo dicit in alio Psalmo, cum proposuisset sibi quamdam duram et difficilem quæstionem, quare in hac terra plerumque bene est malis, et male est bonis, et ait: « Suscepi cognoscere, hoc labor est ante me, donec » introëam in Sanctuarium Dei, et intelligam in novissima<sup>2</sup>. » Ibi est enim fons intellectus, in Sanctuario Dei, in domo Dei. Ibi intellexit iste in novissima, et solvit quæstionem de felicitate iniquorum, et labore justorum.

<sup>1</sup> Rom. vi, 12, 13. — <sup>2</sup> Psal. LXXII, 16, 17.

Quomodo solvit? Quia mali cum hic differuntur, ad pœnas sine fine servantur; et boni cum hic laborant, exercentur, ut in fine hæreditatem consequantur. Et hoc ille in Sanctuario Dei cognovit, intellexit in novissima. Ascendens tabernaculum, pervenit ad domum Dei. Tamen dum miratur membra tabernaculi, ita perductus est ad domum Dei, quamdam dulcedinem sequendo, interiorem nescio quam et occultam voluptatem, tanquam de domo Dei sonaret suaviter aliquod organum: et cum ille ambularet in tabernaculo, audito quodam interiore sono, ductus dulcedine, sequens quod sonabat, abstrahens se ab omni strepitu carnis et sanguinis, pervenit usque ad domum Dei. Nam viam suam et ductum suum sic ipse commemorat, quasi diceremus ei: Miraris tabernaculum in hac terra: quomodo pervenisti ad secretum domus Dei? « In » voce, inquit, exultationis et confessionis, soni festivitatem celebrantis. » Festa cum hic homines celebrant suæ quoque luxuriæ, consuetudinem habent constituere organa ante domos suas, aut ponere symphonicos, vel quæque musica ad luxuriam servientia et illicientia. Et ubi audita fuerint hæc, quid dicimus qui transimus? Quid hic agitur? Et respondetur nobis aliqua esse festa. Natiuita, inquit, celebrant, nuptiæ hic sunt: ut non videantur inepta illa cantica, sed excusetur festivitate luxuria. In domo Dei festivitas sempiterna est. Non enim aliquid ibi celebratur et transit. Festum sempiternum, chorus Angelorum: vultus præsens Dei, lætitia sine defectu. Dies hic festus ita est, ut nec aperiatur initio, nec fine claudatur. De illa æterna et perpetua festivitate sonat nescio quid canorum et dulce auribus cordis: sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc tabernaculo, et miracula Dei in redemptionem fidelium consideranti, mulcet aurem sonus festivitatis illius, et rapit cervum ad fontes aquarum.